

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2763

Auteur(s) : Jean de Dancé [écuyer]

Auteur(s) : Marguerite, femme de Jean de Dancé [particulier]

Bénéficiaire(s) : Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1300, 3 novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Compromis entre Jean de Dancé, écuyer, et Marguerite, sa femme, agissant comme ayant le bail et tutelle de l'héritier de Rocé, d'une part, et le prieur de Saint Martin, de l'autre, pour terminer le différend soulevé entre eux au sujet du droit de pressurage des vignes de Rocé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche, Mortagne-au-Perche, Meaux* (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 284, p. 265-266.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis Johannes de Danceio armiger, et Margarita uxor sua, salutem in Domino. Notum facimus quod cum contentio verteretur inter nos, ex una parte, et religiosum virum priorem Sancti Martini de Veteri Bellismo, ex altera, super eo videlicet quod nos dicebamus, nomine et ratione heredis de Roceio primogeniti, nunc existentis in nostro baillio et tutela, pressoragium vinearum ejusdem prioris et hominum suorum, quas vineas habent et possident dicti prior et sui homines prope Roceium, inter cheminum per quod itur de domo dicti Quarel apud Mamertum, ex uno latere, et junguntur predictae vinee ex alio latere juxta vineas Egidii, nunc rectoris ecclesie de Capella Suavi, et Suhardi Foquaut ; prout predictae vinee in latitudinem et longitudinem se proportant, ac etiam costumatas factas in locis et vineis antedictis pertinere, ratione feodi et domini, ad predictum primogenitum et heredem : dicto priore contrarium asserente pro eo videlicet quod predictae vinee in suo feodo proprio atque prioratus predicti erant et existunt, nec ipse prior, nec sui homines, nec dictarum vinearum possessores censum annuum vel duplum censum, seu venditiones, aut servicia sine redibentias quascumque unquam domino de Roceyo sive suis antecessoribus, retroactis temporibus persolverunt ; immo omnia et singula servicia, redibencie, duplum census et venditiones ab omnibus et singulis possessoribus earumdem vinearum fuerunt prioris prioratus predicti ; quilibet pro suo tempore, tanquam capitales domini hactenus perceperunt, levaverunt et habuerunt : tandem de consilio magistri Gaufridi de Noceio, clerici, advunculi predicti heredis, et nobilis viri Johannis de Vireleio militis, advunculi mei predicti Johannis de Danceio, prius recepto per depositiones plurium testium fide dignorum feodi de Roceio et hominum predicti heredis, ex parte mei dicti Johannis de Danceio productorum et examinatorum per predictum nobilem virum Johannem de Vireleio militem, quod nos predictum priorem super premissa molestabamus indebite, inter nos et prefatum priorem amicabilem intervenit compositio in hunc modum : quod nos nomine ipsius heredis volumus et consensimus quod predictus prior amodo habeat et habebit pressorium,

ac habere poterit in loco predicto sine nostri nec ipsius heredis, vel successorum seu heredum ipsius contradicto, pro se et suis hominibus atque aventiciis quibuscumque. Illos autem, qui de districtu ejusdem heredis fuerint, non recipiet ad suum predictum pressorium, quod habebit in suo predicto feodo predictus prior aut sui successores, vel custodes ejusdem pressorii, nisi ab ipso herede habuerint super hoc licenciam et speciale consentum ; super quo dictus heres poterit, si voluerit, a custode pressorii predicti prioris semel exigere juramentum. Et ne predictus prior aut sui successores possit aut possint super premissis et premissa tangentibus a nobis, vel a dicto herede, seu suis successoribus in posterum molestari, turbari vel impediri, dedit, concessit et assignavit idem prio, pro premissis et premissa tangentibus nobis, nomine et ratione predicti heredis primogeniti de Roceo et successorum suorum, vinginti solidos monete currentis annui et perpetui redditus, liberos ab omnibus, sitos et assignatos super omnem hereditatem quamcumque et quibuscumque locis et rebus existentem, quam habet Angotus dictus Blondel de Noceo, ubicumque in Castellania de Bellismensi solvendos, in festo beati Martini hyemalis annuatim. Ista tamen conditione apposita in premissis quod si dictus heres, cum ad liberam etatem pervenerit, vel alius quicumque, predictum priorem vel ejus homines super premissis, vel premissorum aliquo molestaverit, impediverit seu hujusmodi concordiam infregerit, predictus redditus vinginti solidorum ad dictum priorem et suum prioratum immunis et liber ab omnibus libere revertetur ; et tenemur nos et heredes nostri eidem priori, nomine prioratus predicti, dictum redditum reddere et instrumentum super hoc confectum et sigillo domini comitis sigillatum. Hec nostro nomine captio predicti redditus facta fuit quia de pecunia ejusdem prioris predictus redditus extitit persolutus nosque et heredes nostros et omnem hereditatem mee Margarete, matris predicti heredis, quo ad hoc obligamus. In cujus rei testimonium sigillis nostris propriis dedimus istas litteras dicto priori et suis successoribus sigillatas, per quas obligamus nos et nostros heredes ad omnia et singula supradicta tenenda et observanda modo et forma predictis. Datum anno Domini M° CCC°, die Jovis post festum Omnium sanctorum.